



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

155. De declinatione sedis Ultraiectensis. An eius Episcopi à Gregorio vsque ad Godebaldum caruerint mitra & infulis Episcopalibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

DISSERTATIO CLV.

De declinatione sedis Ultraiectensis. An
eius Episcopi à Gregorio vsque ad Gode-
baldum caruerint mitra & infulis
Episcopalibus.

Sancto Willibrordo ad caelestia translato, quæ ha-
ctenus siluerat mouere se coepit Ecclesia Colonien-
sis contra Ultraiectensem prætendens ei Episco-
palē aut saltē Metropol. dignitatē detrahere & sibi
arripere. Obstitit illorum conatibus quam diu in
vuis fuit S. Bonifacius. Verum illo à Barbaris anno 755.
perempto non desistentes Colonienfes, superueniente etiā
calamitate Ecclesiæ Ultraiectensis, potentiores præualue-
runt, vti aliquoties iam est insinuatū. De hoc negotio
Becanus: *Post cuius (Bonifacij) necem Ecclesia Traiectensis ru-
dis adhuc & tenera Metropolitana dignitate caruit: quoniam ad-
uersus Ecclesiam Coloniensem magnis opibus abundantem de cetero
stare non potuit; tota nihilominus Ecclesia Diœcesis post modicum
tempus ex feritate Danorum tantumdem penè depopulata fuit &
terra non habens agri colonum aliquanto tempore spinas & tribulos
germinauit: quapropter Episcopi Traiectenses urgente magna neces-
sitate Romanam Curiam pro Archiepiscopali benedictione visitare
nequeunt. Susceperunt à viciniore Metropolitano simplicem benedi-
ctionem sicut Abbates, sine mitra Pontificali longo tempore celebra-
tes. Et Heda: Hactenus Ecclesia Traiectensis licet noua & tenel-
la quodammodo esset plantatio, Metropolitana fulgebat dignitate, sed
continuis hostium incursionibus attrita solita Authoritate carere &
declinare cepit & Ecclesia Colonienfi vixite Florenti & infelicitate*

se constituta paulatim cedere uniuersa Diœcesi per Saxones & Frisios Orientales Duce Windikendo & postea per Danos & Normannos afflictâ & in solitudinem redactâ ita ut Ecclesia ipsa Episcopum suum amodo alere nequiret, nec onera aut impensas sufferre præpediente egestate ne ad sedem Apostolicam promunere Archiepiscopalis benedictionis de cetero recurreret: Imo uti Abbatibus per Archiepiscopum Coloniensem impendebatur consecratio. Cessauit & mitræ usus usque ad tempora Godebaldi Episcopi. Quod addunt uti Abbatibus ab Archiepiscopo simplex benedictio aut cōsecratio, & mitræ usum cessasse longo tēpore & Godebaldi Episcopi, crudum durumque mihi semper sapuit, ac tandem dum ad trutinam rationis reuoco, improbabile videtur 1. Quia mitra ab origine & primæua institutione Episcopis est propria adeoque natiua; cur ergo asferemus Episcopos, & quidem veros, quales semper fuerunt Ultraiectenses, amitratos sedisse & quidem per tot sæcula? Quinimo censent nonnulli vnctionem cum mitræ impositione esse materiam constitutiua Ordinis Episcopalis; quare ergo subtraheretur? fuisse veros Episcopos Ultraiectenses ante tempora Godebaldi Episcopi 24. (sedit is ab anno 1112. vsque in annum 1127.) & præditos plenitudine officij Episcopalis quæ in consecratione accipitur, ut potestate Clericos ordinandi, baptisatos confirmandi, Sacrum Chrisma, Ecclesias altaria consecrandi &c. & non tantum Iurisdictione externa, quod ab alijs posset obiici, patet ex historijs eorundem. Albricus Episcopus 4. Ultraiectensis, qui sedit ab anno 777. vsque in annum 787. ordinauit in Presbyterum S. Ludgerum primum postea Monasteriensem Antistitem legauitque ad partes Frisix Euangelij prædicandi causâ. Radbodus 14. consecratus est Episcopus testibus Becano & Heda seditque ab anno 901. vsque 919. Idem rogatus à Balderico

Ffff 3

postmodum

postmodum successore ut duos Clericos oblatos consecraret Sacerdotes, denegans respondit Radbodus ex spiritu prophetico eos aliquando ab ipso met Baldrico fore consecrandos. Ipse met Baldricus consecratus & confirmatus est ab Archiepiscopo Coloniensi, ut de se testatur in privilegio concessio Ecclesiæ Ultraiectensi apud Hedam. Seditque ab anno 919. usque in annum 977. De Burchardo Episcopo 23. Godobaldi prædecessore scribit Heda : *Hic etiam ordines manu propria contulit & consecrauit Presbyteros & Diaconos.* Quod addit (etiam) indicat Prædecessores idem fecisse. Sedit vero Burchardus ab anno 1099. usque in annum 1112. Et certe nisi consecrati fuissent Episcopi consecratione Episcopali, non bene consultum fuisset vastissimæ Frisiorum Diocesi, a qua Metropolitanus longe aberat, quam commodum adire nequibat. Quis consecrasset altaria, Chrisma confecisset, Clericos ordinasset, Neophytos confirmasset? Et quomodo illa exercuissent sine debitis ornamentis Pontificalibus inter quæ est mitra? Erant Episcopi ante tempora Godebaldi viri omnes sanctitate & probitate conspicui, prædicatores strenui, à summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus summo in pretio habiti, ab ijs pluribus bonis cumulabantur, & præclarissimis privilegijs decorabantur, ad Synodos conuocabantur. Quomodo illi, qui tanta ijs largiebantur, non largiti fuissent infulas? quomodo, si impedimentum aliquod mitræ gestandæ adfuisset, non auerruncassent, qui longe maiora conferebant, qui apud omnes quam plurimum pollebant? 3^o. nullum impedimentum erat mitra infulisque obtinendis. Non à Coloniensibus, qui non conabantur Ultraiectensi auferre dignitatem Episcopalem, nec ornamenta Pontificalia, sed dumtaxat Metropolita-
num

num jus, & Archiepiscopalem titulum & honorem, immediatamque subiectionem sub summo Pontifice. Et verò Archiepiscopi Colonienſes inſtituebant & confe-
crabant veros Episcopos Ultraieſti, vt iam eſt dictum; quomodo ab ijs detinuiſſent mitram & infulas? quid iu-
uiſſet illos veros Episcopos admiſſiſſe & Episcopalem ha-
bitum denegaſſe? nec ſtabat impedimentum à Paupertate, quia ab initio & in dies opibus affluenter dotabantur. Nec facile talis occurrit paupertas, quin ſimplex mitra comparari poſſit. Memini me legiſſe in antiquo manu-
ſcripto Tungerloæ, in Hibernia tantæ tenuitatis ſediſſe Episcopos, vt ad Synodos diuinaque officia conuenirent chartaceis mitris. Malebant ex obuia vilique materia confe-
ctas geſtare, quam nullas, probe ſcientes mitram eſſe proprium Episcoporum geſtamen, & quaſi adnatum.

Hæc me alienum reddiderunt ab inolita opinione, qua creditur Ultraieſtinos Antiquitates à tempore Bonifacij ſiue Gregorij vſque ad tempora Godebaldi 24. Episcopos, caruiſſe Infulas Pontificijs cum mitra, ſcilicet, per tria ſæ-
cula & dimidium. Exemplum ſimile in historijs nuſquam comparet.

Quod id aſſerunt Becanus & Hedanus (ſi modo ipſo-
rum ſit & non ab aliquo adſutum) reor ex malo historiæ intellectu proceſſiſſe. Super quo vt melius explicetur, & conceptus noſter declaretur, longius eſt diſcurrendum.

DISSER-